omt

lapides uiui superedificamini domus spiritalis. De his lapidibus sanctę ecclesię
Isaias. dominus per Isaiam dicit: Ponam iaspidem propugnacula tua. et portas tuas in la
pides sculptos. uniuersos terminos tuos in lapides desiderabiles. omnes fi
lios tuos doctos a domino. Omnipotens enim deus sanctę ecclesię propugnacula in iaspidem. qui
lapis uiridis coloris est posuit. quia praedicatorum illius mentes internę uiridi
tatis amore solidauit. ut transitoria cuncta despiciant. nil in hoc mundo
quod fine clauditur appetant. cuncta eius gaudia uelut arida contempnant. Vn
de et ipse pastor ecclesię auditores suos ad pascua ęternę uiriditatis uocans.
Petrus. de deo loquitur dicens. Secundum magnam misericordiam suam regenerauit nos in spem
uiuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. in hereditatem incorruptibi
lem et incontaminatam et inmarcescibilem conseruatam in celis. Huius sanctę ecclesię
portę in sculptos lapides ponuntur. quia hi per quos nos uocem ad uitam ęter
nam ingredimur. sancta opera quę diuinitus praecepta sunt. dum in semetipsis ostende
rent. hęc quasi in se sculpta tenuerunt. At ubi secundum hoc se ostendunt
uiuere quod loquuntur. et portę sunt quia intus ducunt. et sculptę quia uiuendo
custodiunt. quę aliis loquuntur. Huius sanctę ecclesię uniuersos terminos in
lapides desiderabiles positos uidemus. dum in ea fideles quosque fortes
in fide et caritate conspicimus. Qui ut quos dixerit lapides demonstraret.
adiunxit. Omnes fideles tuos doctos a domino. Quod ergo Isaias uniuersos ecclesię ter
minos lapides desiderabiles uidit. hoc Hezechiel pauimentum lapide stratum
per circuitum esse perhibuit. Qui adhuc de gazofilaciis subdidit. Triginta ga
zofilacia in circuitu pauimenti. Denarius numerus pro perfectione semper
accipitur. quia in X praeceptis legis custodia continetur. Actiua etenim et contem
platiua uita simul in decalogi mandatis coniuncta est. quia in ea et amor dei
et amor proximi seruari iubetur. Amor quippe dei ad contemplatiuam. amor uero
proximi pertinet ad actiuam. Sed unusquisque doctor. ut in actiua uita se plene

[p]ortę enim non sculptę.
[...] pure erunt. si uoce
docerent. et sancta
[i]n se opera non demon
[s]trarent.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0298